

quo modo ad varietatem objectorum mutat chamaeleon colorem, eo modo et homo omnium quæ occurunt, formas induit, et ut ait Job : *Nunquam in eodem statu permanet*, cap. XIV.

Quarto, remiges habet immorigeros et infideles, mancipia videlicet navi alligata ad trahendos remos, quæ interdum insurgunt contra dominum, eumque sibi subiecti et domini navis fiunt. Ita ratio humana habet quinque sensus, deinde passiones corpori alligatas, rebellies et præfrazas; amor alii se preferit, alios stulte deperit; odium fastidit res salutares et quandoque se ac Deum; concupiscentia tota est in appetendis noxiis, stultis, inutilibus rebus; delectatio exultat in rebus pessimis, gaudet alienis infortuniis; spes pollicetur sibi, quæ nunquam eventura; metus otio difflit, somniat pericula, ubi non sunt; audacia versatur inter media damnationis pericula; ira insanit; gula tota est in patinis et corpore saginando, etc.

Quinto, onus mercium aliarumque rerum navim prægravantium vehit, quod ut se suosque salvet saepè abjecere in mare cogitur. Ita etiam animus hominis peccatorum pondere premitur eoque majore, quo diutius vixit; quæ si de salute sua periclitari nolit, ejicere per pœnitentiam debet vitamque in melius commutare. Deprimit hoc onus saepè homines aliquos, ut sustinere id non possint ideoque sibi ipsis mortem conscient, seque in abyssum mergant; alii perpetuo se inebriant, ne peccatorum suorum gravitatem aspiciant; alii scelerum suorum conscientia torti veluti fugitiivi undique discurrunt et seipso fu- giunt; alii doloris impatientia ulro scelus suum produnt.

III. Si quæ extra navim sunt, pericula spectemus. Et primo, occurunt tempestates, quibus crebris agitatur navis et navarchus, et vel in scopulos illiditur, vel in hostium terras ejicitur, vel adeo procul a terris repellitur, ut tandem annona deficiat et cum fame ac siti bellandum sit. Pari modo vitam hominis exagitare solent externæ calamitates, pestis, bella, famæ et an- nonæ caritas, servitus, terræ motus, eluviones, furtæ, cædes, etc. Sed et ipsa tranquillitas venti- que prosperi non minus imo majus saepè periculum ei afferunt, veluti abundantia, potestas, sanitas, etc. Ab his in altum effertur Deique ac sui obliviscitur et tandem casu graviore ruit: ab illis vero adversis ventis in imum pusilla- nimatis et desperationis dejicitur, quæ duæ fortunæ cum homine ludunt, quemadmodum fluctus cum navigantibus.

Secundo, occurunt hostes et piratæ, quibus cum saepè pugnandum, et ideo, semper navis

instructa esse debet militibus et bombardis: ita uniuicue plurimi occurunt hostes nunquam non infesti. Occurrunt primo, piratæ illi dæmones, qui hoc mundi mare semper obeunt et infestant, callidissimi, potentissimi, sævissimi, quam plurimi. Deinde ipsimet homines, qui sibi invicem lupi sunt et carnifices. Accedunt grandia cete, variarum bestiarum, quæ hominem persequuntur, principem licet suum; nec majores illæ solum, uti leones, ursi, tigres, etc. sed etiam minutissimæ, uti muscæ, culices et quæ eum vexant et discruciant, imo sede sua non-nunquam pellunt, ut alio commigrare debeat, uti fecere culices Indis rhizophagis, apud Elian. libro XVII. historiar. capite XXXVII. mures Italæ quibusdam populis, apud eundem, capite XXXVIII. ranæ Indis Atheriatibus, eodem auctore; aliis cuniculi, etc.

Tertio, occurunt scopuli et alia impedimenta atque incommoda cursum retardantia, ut remora pedali longitudine piscis navim maximam remorans: montes magnetici navim ad se trahentes sibique agglutinantes: syrtes et charybdes, etc. Eodem modo vita hominis in medio laqueorum ingreditur, quibus mundum plenum vidiit aliquando Sanctus Antonius, ut attonus exclamaret: *O Domine, quis evadet omnes istos laqueos!* Tales, laquei sunt honor, pecunia, voluptas, mulier, cibus et potus, etc. qui alios a progressu virtutum retrahunt, alios ad se trahunt et fortissime alligant; tandemque ad certum naufragium impellunt. Hinc est, quod tot animæ pereant quotidie, ita ut Sanctus Bernardus non vereatur dicere: *Sicut ex decem navibus in oceano vix una in portum pervenit, sic ex decem animabus vix unam laqueos mundi evadere et ad vitam æternam pervenire: nec in celo securitas, unde lapsus Lucifer: nec in paradi- so, unde ejectus Adam: nec in schola Christi, in qua periit Judas: nec in primo Christianorum cœtu, in quo extinctus Ananias una cum uxore. Denique verissimum est illud Anacharsis, qui rogatus, quænam naves essent tutissimæ? Quæ in siccum, inquit, protractæ sunt,* Laert. I. I. c. IX. Ita nemo tutus, nisi qui jam vita expeditus est.

Quarto, obversatur ei semper ob oculos timor naufragii et submersionis, siquidem tribus tantum aut quatuor digitis a morte distat. Unde quidem philosophus dubitavit, utrum navigantes in viventium an potius mortuorum numero ponri deberent. Alius vero nautas his mortuos appellavit. Simili ratione fieri non potest, ut mors qua nihil homini certius, non obversetur eidem perpetuo ante oculos. Naufragium illi

certum est; quod alii mox in matris utero quasi in portu faciunt; alii in infantia, cum a portu solvunt, in medio mari, ætate maturiore; alii cum appellant, in senecta. Et sicut navigantes variis casibus pereunt, alii ad scopulos allisci, alii ab hostibus intercepti, alii a piscibus eversi, alii fame enecti, etc. ita et mortales variis modis vivere desinunt, alii violenter enecti, alii morte naturali. Ad hæc sicut navis vacua et in nis fuit, cum in mare mitteretur, et rursum evacuatatur cum ad portum appellat: ita omnino contingit homini. Unde Ecclesiastes, cap. V. dicitur: *Sicut egressus est nudus de utero matris suæ, sic revertetur et nihil auferet secum de labore suo. Misericordia prorsus infirmitas quomodo venit, sic revertetur.* Ad hoc insinuandum, ex duodecim lapidibus pretiosis, qui ponuntur in corona regis Francie, supremus est sardius, terre colore referens, ut se noverit in terram abitum unde venerat, nec aliud esse regem, dum regnat, quam terram elevatam, Chavass. de prud. I. III. c. IX. Illa vero omnium maxima est miseria, quod nihilominus tam secure vivant homines, quasi nunquam morituri essent, nec de morte sua cogitent.

Quinto, navigantes in manu et potestate Dei sunt, quasi ejus captivi, ita ut omni momento, facilissimo negotio navim evertere, et omnes illos mergere queat; unde cum Sancto Job jure posse sunt orare: *Memento Domine, quoniam ventus est vita mea.* Ac licet qui maria navigant, ab hominum et principum legibus exempti videantur, quia extra illorum oculos et manum sunt, velut pisces maris: non tamen sunt extra oculum et manum Dei, qui omnia illorum opera diligentissime observat. Contendebat Jonas fugere a facie Dei, cum ad mare fugit et in navim se recepit; sed ibi mox deprehensus et sæva tempestate jaecatus est, neconon Dei judicio in mare projectus a pisce glutiendus. Hunc in modum omnes nos in manu Dei sumus et ipse considerat omnia nostra opera. Magna profecto hæc miseria, si agnoscamus videlicet præceptorem nostrum perpetuo cum ferula stare ante nos; major, si non agnoscamus. Et quam facile est illi nos omnes pessum dare? Et quo a facie ejus fugiemus, qui eum semper nobiscum gerimus, quo modo et gentiles nautæ suos deos tutelares semper in puppi secum gerebant, ut scribit Sanchez, in Act. c. XXVIII.

Quæ cum ita sint, mirum in primis est, quomodo extollit possit homo: *Quid enim superbis terra et cinis?* Deinde quomodo mundum et miserabilem hanc vitam diligere quis possit, tot repletam amaritudinibus? Denique, quomodo

non in continuo timore versari possumus, qui in tantis periculis navigamus? Quam multæ et magnæ cause sunt semper orandi et sine intermissione clamandi ad Deum: *Domine, salva nos, perimus?* Quam serio laborandum ut Christum in navicula nostra semper habeamus et in ejus gratia constituti simus?

## CONCIO VIII.

## DOCUMENTA EX EVANGELIO.

- I. Christi bonitas. — II. Sine Christo duce nihil sumus. — III. Ubique pericula. — IV. Justi securitas in periculis. — V. Hominum audacia. — VI. Dei potentia. — VII. Creaturarum ad Deum subiectio.

## THEMA.

*Homines mirati sunt, dicentes: Qualis est hic?*

Matth. VIII.

Ante octiduum miratus fuit Christus fidem centurionis: hodie mirantur homines potentiam Christi, imperantis mari et ventis. Et quidem jure merito mirantur homines Christum, quia prædictus Isaia vocandum *admirabilem*, Isa. IX. sive ejus naturam incomprehensibilem, sive ejus operationem et potentiam, sive ejus vitam, mortem et resurrectionem, sive ejus sanctos consideres. Illud vero mirandum, quomodo aliquid in homine mirari potuerit Christus, cum omnia illa Christo sint tenuia et vilia. Nimurum quemadmodum Japones, Brasili aut Chinenses, si in nostras terras venerint, mirantur illi nos et nos miramur illos. In nobis illi mirantur vasa figurina, æreas ollas, ferreas tripodes, papyrum, cultros, et similia tritissima et vilissima, quia ipsi rara. At vero nos in illis merito suspicimur vestes serico, gemmis, auro nitentes, aliaque pretiosissima, quibus ipsi abundant. In hunc modum mirabatur Christus fidem centurionis, vilem utique rem si cum Christi dotibus et virtutibus comparetur; sed tamen raram, et ab ipso in Israel non inventam. At nos multo æquius miramur dotet Christi, utpote quas e cœlo in terras secum attulit, sapientiam, potentiam, etc. prius mundo incognitas. Porro in hodiernæ evangelio non pauca sane occurunt mira et recondita quæ proinde declarabimus.

I. Vide et mirare Christi Domini nostri bonitatem ac beneficiendi pronitatem. Ut enim habet occasionem homines magno sibi beneficio alligandi, ad fidem et dilectionem suam trahendi, ecce quid non facit? *Intra in naviculam,*

recumbit et dormit, sinit excitari tempestatem et periclitari n̄avem, navigantesque jactari et perturbari. Quorsum h̄e omnia, nisi ut ab iis excitatus et invocatus posset eos consolari, libera- re per insigne miraculum; ad suam cognitio- nem, fidem et amorem velut suavi et fortissimo philtro allucere sibique devincere? Vide quam ingeniosus sit amor in Christo! Si tempestatem nullam permisisset, si non dormiasset, non timuissent discipuli, nec opem Christi implorasse- rent, nec in ipsum tanta fide credidissent, nec admirati fuissent ejus potentiam, nec ipsum adeo dilexis- sent, et tamquam creaturarum Dominum reveriti fuissent. Simili ingenio perfecit Deus opus incarnationis, miraculorum omnium ma- ximum, ut eo velut fortissimo fune traheret ad se filios Adam. Dormivit enim quando permisit Adamum et Eam, pro arbitrio suo agere et quasi solos in paradi- so navigare; permisit deinde procellam venti descendere in mare, hoc est, diaboli tentationem in Eam et Adamum, et in illis excitare fructus concupiscentiae erga fructum vetitum: unde orta est ingens illa tempestas, qua tota Adami posteritas miserabiliter jactari et in omne vitiorum genus prolabi, ad extremam denique miseriam redigi coepit. Ideo olim patres Deum excitarunt ut surgeret et imperaret dæmoni, et quam is excitavit, tempestati. Quorsum h̄e permisit Deus, qui omnia impedi- re potuisse? Ut hoc mundo haberet occasionem quam commodissimam perficiendi eum maxima sua gloria, nostra vero utilitate, opus incarnationis. Evigilavit igitur Deus quando est incarnatus, et imperavit ventis ac mari, redditque nobis tranquillitatem. *Melius enim judicavit*, ait Augustinus, in enchirid. *ex malis bona facere, quam mala nulla esse permettere*. Ex hoc jam magis videmus et admiramur Dei potentiam, qui tantam tempestatem tam mirabiliter sedavit; magis agnoscimus et amplecti- mur ejus bonitatem et misericordiam, qui e tanta calamitate tam paternae nos liberavit; rapimur in amorem ejus, qui tam efficaci medio ad eum nos pellexit. Et vero quod universo generi hu- mano fecit, id etiam facit saepe cum unoquoque nostrum. Cum enim nos avertire a via mala et ad se allicere, de morte æterna ad vitam vult pertrahere, dormire quandoque incipit et sinit nos jactari tentationibus, morbis, persecutionibus, usque dum agnoscens miseriam et peccata nostra, recurramus ad ipsum per penitentiam et orationem, ut ita ab eo liberati prædicemus ejus bonitatem, et amemus ac timeamus eum, quem prius nec amavimus nec timuimus. Sic Jonas a facie Dei fugiens et inobediens, cum tempestate jactaretur et in ventre ceti esset, tum

demum in se redire, Dominum deprecari et be- nedicere coepit, Jon. II. Væ nobis si his vinculis non trahamur, si liberati a corporis aut animæ periculis et miseriis non resipiscamus, non amemus ac timeamus Deum.

II. Vide et mirare quam mox omnia sursum le- torsum eant, si vel modicum Deus dormiat, et di- mittat homines agere pro libitu. Dormit quodammodo Deus cum non dirigit homines sua gratia, cum non increpat per concionatores, cum non punit per magistratum vel plagas a se immissas, cum immittit prædictores mutos, magistratum et superiores ignavos, etc. quo easu mox tempe- tas cietur a dæmonibus, imo a nobis ipsis. Bene dixit Aristot. vel quisquis est auctor I. de mundo: *Hoc in mundo est Deus, quod in navi gubernator, quod in curru auriga, in choro præcentor, in civitate lex, in exercitu imperator*. Ut enim gubernatore, auriga, præcentore, lege, imperatore dormiente seu con- niente omnia pessum eunt; ita si a direzione sua paterna Deus cesseret. Neque potest gravius punire homines, quam si eos sinat ire in adinven- tionibus suis, adeoque eis dormiat. Pardalis se sub arbore dejicit in terram et mortuam se simulat, tum simile ex arbore descendunt et ubi mortuam explorant, ac credunt, circum eam saltitant, super eam gradiuntur ac variis modis ei illudunt. Pardalis omnia sustinet immota, donec simias defatigatas esse advertit, tum ex inopinato sur- gens exiliensque eas partim dispergit, partim lacerat et devorat. Idem saepe facit Deus, (non quidem in fraudem uti pardalis, sed in paenam reproborum justissimam) tolerat enim libidines impiorum quasi dormiens aut mortuus: sed suo tempore exsilit et vindictam sumit. Unde Isa. XLII. ait: *Tacui, semper silui, patiens fui, ut parti- riens loquar, dissipabo et absorbo simul*.

III. Vide et mirare in exiguo mari (seu potius lacu Genesareth videlicet) magnam et repentinam tempestatem, ut scias in hac vita nunquam before tentationes, licet in navi Christi sis, imo tunc magis certiusque adfore. Ut enim in hanc navi- culam, cum e portu solvisset, mox venti procel- losi certatim irruerunt, eamque tantum non obruerunt; ita anima nostra, ubi annos discre- tionis attigerit, statim incidit in procellas. Inde venti tentationum, hinc maris, id est, carnis nostre inquietudo et fragilitas, illinc remiges inexperti ac timidi, id est, vires animi nostri sensusque corporis; durabitque hæc tempestas, quamdiu hoc corpus gerimus. Quamquam aliqui tempestatem hanc non sentiunt, sed omnia pacifica sibi imaginantur, quia toti caro sunt ei in carnem quasi mutati, adeoque pugnam nullam advertunt inter carnem et spiritum: nesciunt

quid sit murmur carnis et querimonia rationis, hocque ipso periculosius laborant. *Erras frater, erras*, ait S. Hieron. ep. ad Heliodor. si putas unquam Christianum persecutionem non pati; tunc maxime impugnas, si te impugnari nescis. Sunt enim isti in majori periculo, et quasi ferae jam captas in horto principis secure degentes, quas nemo infestat aut venatur. Cæterum pii, et Christi milites quasi ferae sunt adhuc libere, quibus in- sidiatur dæmon. Unde apost. II. Tim. III. *Omnes, inquit, qui pie volunt vivere in Christo Jesu, perse- cutionem patientur*. Quare bonum signum est cum tentatio- nis exercemur; hostes enim vexat dæ- mon a quibus se victum aut vincendum sentit, non amicos. Vicissim bene Demetrius, apud Senec. ep. LXVII. vitam securam et sine ullis incursionibus, mare mortuum vocat. Etenim mare mortuum, ut scribit Tacitus, L. V. hist. neque vento impellitur, neque pisces aut assuetas aquis volucres patitur, et tetricum odorem fundit; ita etiam qui nullis agitantur tentationibus nullus aut exiguo bono- rum operum fructus ferunt, fœtent vitiis, etc.

IV. Vide et mirare justorum in mediis persecu- tionibus securitatem et quietem designatam in Christo dormiente inter procellas. Simili enim ratione: *Non contrastabit justum*, ait Sap. Prov. XII. *quidquid ei acciderit*. Rationem dat S. Chrysostomus, hom. XVIII. ad pop. « Deum enim, inquit, sicut oportet, timens et in ipso confidens, volup- tatis radicem lucratus est, et omnem habet læti- tiae fontem. Et sicut in immensum mare decidens scintilla brevifacile extinguitur, sic quantacumque Deum timenti illidantur, velut in vastum lætitiae pelagus incidentia extinguuntur atque perdun- tur. » Hinc S. Martinus a latronibus interceptus et mulctatus, nunquam se magis securum fuisse asserit, quod nimurum Deus maxime adiit justis, cum in afflictione sunt, Sulpit. in vita. Ea vero securitas et letitia maxime se prodit in tempe- state instantis mortis, cum se justus advertit jam ad portum tendere. Nimurum Deum secum in navi cordis sui presentem habere se intelligit. Unde ait: *Etsi ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es*. Non ita dormiunt impii, quia inquit Isaías, c. LVII. *Impii quasi mare fervens, quod quiescere non potest*. Ita Jonas fugiens, cum videret exortam sui causa tempestatem, præ metu et fastidio descendit ad interiora navis, tenebras querens, et dormivit quideri, sed idcirco tantum ut stimulos conscientiae hoc sopore compesceret. Sic aliqui crebro se inebriant, ne oblatrament conscientiam au- diant.

V. Vide et admirare hominum ingenium. Au- dacissime animo se concredunt mari, et exiguae

naviculae, nihil de tempestatis et mortis periculo, quod tamen in mari, in quo vix quatuor digitis a morte absunt, passim obvium et præsentissimum est, cogitantes. Postmodum uti procella venit, toti consternantur, caduntque animis, et quasi mentis inopes Christi opem inclamant. Ita nimurum plerique agunt, licet enim sciant se fragili cymba vehi, fragilissimo inquam corpore, et vix palmo uno abesse a sepulcro; nihilominus tamen velut cæci in quævis pericula ruunt, et vivunt quasi nunquam morituri, ideoque nec de morte cogitant. Mox vero ubi vel una febris eos quatere incipit, illico consternantur, mortem fugiunt, opem Dei et hominum implorant: *Do- mine, salvanos, perimus, etc.* Quid miramini, mortales, ejusmodi tempestates? An nescitis vos parva et fragili cymba navigare in hoc mundo? Et cur ita temere ob exiguum lucrum aut voluptatem, mortis pericula aditis? Aut cur non potius horam mortis præ oculis semper habetis? Et quasi omni loco mortem expectatis? Plutarchus in Lacon. refert quendam philosophum jure dubi- tasse, num navigantes essent in numero viven- tium, an defunctorum computandi, propterea quod in continuo vita discrimine versentur. Et Diogenes Laertius, l. I. in vita philosophorum scribit, Anacharsim quemdam interrogasse, quanta esset spissitudo tabularum nautiarum; illum autem respondisse quatuor digitorum. Cui tum ille: *Tantillum ergo absunt a morte qui navi- gant*. Idem nos de vita nostra dicere possumus. Ecce igitur non in perpetuo timore salutis no- stræ versamur? Num quia spem in Deo ponimus, quem ingruente mortis periculo, suscitandum a nobis speramus et in auxilium vocandum; sed quid si a fluctibus hauriamur, antequam clamare et suscitare eum possimus?

VI. Vide et mirare Dei potentiam. *Surgens impe- ravit ventis et mari, et facta est tranquillitas magna*. Non solum cessarunt venti, sed et mare mox de- ferbuit, idque jussit Dominus cum imperio et minis. Quid est omnis mundi potestas cum hac collata? Canthus Anglorum rex, cum adulatores ei dicerent omnia ad ejus nutum verti et converti, vanitatem eorum ostendere volens, sedem regiam in littore maris posuit, ipso maris affluxu et refluxu, et dixit: *Impero tibi mare, et denuntio, ne in terram meam ascendas, nec membra nec vestem domini tuo madore perfundas*. Dixit ille, sed incas- sum; mare fluxum suum tenuit, regem alluit et aspersit: tum is resiliens: *En, quam belle, inquit, mihi parent omnia? Quin potius sciant omnes, vanam esse et falsam regum potentiam atque unum esse Deum, qui cœlo, terræ, mari imperat*. Hinc Vintoniam progressus, coronam regiam capiti suo de-

traxit et capiti Christi crucifixi imposuit, nunquam deinceps eo insigni usus, Polydorus Virgil. Nondum ita sapiebat Hispani regis Philippi II. filius Jacobus, quando ad fenestram quamdam stans a vento molestiae nescio quid passus, cœpit puerili quadam vanitate dicere: *Tibi, o vento, impero ne molestiam mihi offeras.* Adstabat ei tunc honorarius quidam puer *bostus* Ludovicus Gonzaga, et dixit: « Potest, o domine, celsitudo tua hominibus quidem, ut obediant, imperare, sed non elementis, quia hoc solius Dei est, cui etiam celsitudinem tuam obedire necesse est. » Quam sapientissimam sententiam Philippus rex eam inaudit, summopere laudavit. Ita in vita B. Aloysi Gonzagæ, p. I. c. VII. Quocirca videmus quantopere Deum oporteat timere, cui elementa omnia tam ad nutum obediunt. Quid enim si suos istos leones in peccatores immittat, juxta id Sapient. V. *Arabit creaturam ad ultionem inimicorum?* Quid si imperat ventis et mari, ut perdant reprobos? Annon id fecit Jonæ inobedienti et fugitivo? Audi Scripturam: *Dominus autem misit ventum magnum in mare, et facta est tempestas magna in mari, et navis periclitabatur conteri*, Joan. I. Ecce quam ad nutum et in momento obedianc elementa Deo, sive ad perniciem hominum sive ad utilitatem: *Ipse continet sicut in utero aquas maris*, ait David, Ps. LXIV. *Ipse educit ventos de thesauris suis*, Ps. CXXXIV. *Ipse conturbat profundum maris*, Ps. LXIV. Unde David admirabundus ait, Psal. LXXXVIII. *Domine Deus virtutum, quis similis tibi? Potens es Domine, et veritas tua in circuitu tuo. Tu dominaris potestati maris, motum autem fluctuum ejus tu mitigas, etc.*

VII. Vide et mirare creaturarum inanimatarum obedientiam. Continuo enim ad verbum Christi acquiescit mare, conquiescent venti; unde mirati sunt, qui id viderant, dicentes: *Qualis est hic, quia venti et mare obedunt ei?* Et quidem merito mirantur. Quid enim mirabilius, quam obedere voci Christi inanimes creature, non obedere homines ratione prædictos? Hoc igitur exprobat inobedientibus Isaias, cap. 1. dicens: *Audite cali, et auribus percipe terra. Filios enutrivi, et exaltavi, ipsi autem spreverunt me. Cognovit bos possessorum suum et asinus præsepe domini sui, Israel autem me non cognovit et populus meus non intellexit.* Similiter Moyses contra inobedientes invocat cœlum et terram, Deut. IV. S. Antonius de Padua, cum homines audire prædicantem nollent, pisces convocabat in flumine Ariminensi, qui certatim ad littus adnatantes persistebant velut audituri concionantem, idque factum in confusionem hominum. Ita confundunt venti et mare Tiberiadis inobedientes homines, juxta id Isaiæ XXIII. *Eru-*

*besce Sidon, ait mare. Certe mare præceptum accepit a Deo: Usque huc venies et non procedes amplius, et hic confringes tumentes fluctus tuos*, Job. XXXVIII. Cui mandato obedit mare semper. Quid ergo dicet homo iracundus, cui præcepit Deus ne irasceretur, ne diceret fratri suo: *Raca, ne diceret: Fatus, sub intermissione judicii, concilli, gehennæ; quid dicet? Nonne mare Tiberiadis contra illum insurget dicens: Erubesc homo?* Idem de perjuris, blasphemis, etc. judicium maris dixit Christus: *Tace, obmutesc, Marci IV. et cessavit ventus, et facta est tranquillitas magna.* Præcepit etiam nobis, ne juraremus, blasphemaremus, imprecaremur, etc. cur non obedimus? Cur non obmutescimus? Sed quod viventes facere nolumus, mortui facere debebimus, juxta apogorum illum noctuæ, quæ cum monusset cicadam ne de nocte sibi dormienti obstreperet, sed taceret, illaque noluisset, invitavit eam ad Palladis nectar: veniens igitur cicada a noctua occisa est, sive quod negarat viva, tribuit mortua, Phædri, l. III. c. LV. Quoties monet Deus per evangelium et concionatores suos, ne illi obstrepamus, contumelii, mendaciis, detractionibus, execrationibus, imprecationibus, blasphemias, jumentis, perjuriis? Et nihil tamen obtinet. Obtinet tamen suo tempore, cum istos invitabit ad triste illud nectar mortis et forte etiam calicem furoris et indignationis suæ: ibi demum obmutescat. Quod a nobis avertat Deus.

## CONCIO IX.

## MYSTERIA.

- I. Quorsum excitata tempestas? — II. Quare Christus in navi dormit? — III. Cur reprehendit discipulos? — IV. Cur imperat ventis et mari? — V. Quid significat navicula?

## THEMA.

*Porro homines mirati sunt dicentes: Qualis est hic?*  
Matth. VIII.

Quærunt doctores, quinam fuerint isti homines, qui mirati sunt sedatam a Christo tempestatem. Inter quos Jansenius rectius sentire videtur, qui ait non discipulos tantum, sed homines etiam, qui in aliis navibus Christum comitabantur, miraculumque observabant, miratos fuisse. Ait enim S. Lucas fuisse cum Christo et alias naves. Ergo etiam in mari prosecuti sunt Christum homines, ut illius dicta et facta notarent cordique suo inscriberent. Laudandus utique zelus et salutaris curiositas, quæ utinam in nobis quoque

cerneretur, auditores. Quare ne segnores Judæi simus, ascendamus et nos in naviculam cordis nostri, et observemus ea, quæ in hodierna navigatione peracta sunt: observata expendamus.

I. Quorsum excitatur hæc tempestas? Respondet primo, glossa ordin. ut discipuli magis timent ac rogent, et ipse rogantibus ostendat potentiam suam. Viderant quidem discipuli multa jam Christi beneficia et miracula aliis exhibita, sed nondum ea in seipsis experti erant. Ergo ut Christo firmius crederent, ejusque miracula nervosius prædicarent, Christo etiam gratiores essent, velut mira ejus ope periculo mortis erepti, permitta tempestas, vel ut aliqui volunt, ab ipsomet Christo excitata est. Qui suaviter epulari vult et bibere, prius esurire et sitire debet; qui in altum evehi, prius debet deprimi; qui gaudio et solatio perfundi, prius debet in angustias redigi; hinc enim ad Deum confugiet eumque excitabit ad fovendam opem. Flores hortorum non spirant odorem suum copiosum, nisi ventorum vi agitantur; tunc enim unusquisque odorem suum refert: ita tribulatio immittitur homini, ut is exerat virtutem suam. Eo pertinet id Cant. IV. *Surge aquilo, et veni auster, perfla hortum meum et fluant aromata ejus, quod dicitur, austeritas calamitatis excitabit virtutis odorem.*

Respondet secundo Theophylactus: *Permitte Dominus tempestatem oriri, ut discipuli ad tentationes exercerentur, et ut per miraculum crederent.* Debebat Christi discipuli fieri insignes et ambidextri pugiles, utpote qui mundum pervadere et expugnare deberent: idcirco prius bene exercendi in omni genere armaturæ erant maxime in adversis rebus siquidem eos gladio accinxit, non uteo percuterent, sed percuterentur, suamque fidem probarent per omnes calamitates. Hinc ergo eos Dominus in hanc tempestatem duxit quasi in ludum gymnicum, ut in fide, patientia, fiducia in Deum, humilitate, etc. sese exercerent, adeoque ad imminentes sibi persecutionem tempestates fortiter sustinendas (quas et in hac tempestate quasi in typo prævidere poterant) invictiores redderentur. Unde Psal. CXXVI. vocantur *fili excusorum, et filii areae Domini*: Isa. XXI. *Tritura mea et filii areae meæ, quæ audivi a Domino exercitum Deo Israel, annuntiavi vobis.* Tritura ergo Christi et filii areae ejus erant, quia tribulis, hoc est, tribulationibus variis triturandi, et a paleis executiendi, multisque odii et invidiæ telis aliisque calamitatibus opprimendi, ut nudi a paleis et terrenis affectibus in horreum Christi reconderentur. Gladius a multo tempore non evaginatus rubiginem contrahit, cujus interventu vagi-

næ adhærescit, ut cum repente pugnandum est, nullis pene viribus extrahi queat: sua proinde remora dominum vulneribus exponat. Par omnino ratio de homine nullis adversitatibus ventilato. Patientia enim non exercitata adeo tarda est ut locum sœpe diabolo det vulnerandi animam.

Respondet tertio S. Ambrosius, in cap. V. Lucæ, et ven. Beda, Luc. VIII. concitatum tempestatem propter præsentiam Judæ proditoris. (Incustum istud est; videtur enim tunc Judas nondum fuisse reprobus) quod tamen si veritati consentaneum est, ostendit nobis Jonam alterum, qui profugus a Deo, dum navi sese credit, a fluctibus et ventis veluti lictoribus comprehensus exagitatur, quique sua societate totam navem periculo exponit. Audiamus S. Ambrosium, serm. de cathed. S. Petri haec de re loquentem: « *Tranquillitas est, ait, ubi solus Petrus navigat; tempestas est, ubi Judas adjungitur.* Licit esset Petrus firmus suis meritis, perturbatur famen criminibus proditoris. Unius igitur delicto cunctorum merita quassabantur. » Quare non mirum si communes plagæ, naufragia, pestes, bella sœviant in communites, propter unum enim reprobum a bonis toleratum, patiuntur etiam boni.

II. Quare dormivit in navi Christus? Respondet primo Lyranus: *Dormit, inquit, Dominus, ut veritas humanæ naturæ in eo ostenderetur.* Idque confirmari ex eo potest, quod Marcus, cap. IV. ait, jam sero esse factum et dimissam ab eo turbam. Erat igitur causa dormiendi, tempus serum et fatigatio ex longa ad turbam concione. Hanc etiam defatigationem indicare videntur illa verba apud Marcum: *Assumunt eum ita ut erat in navi.* Etenim fessus ambulando et concionando in puppim se receperat et super cervical quiescebat. Sic Joannes, c. IV. de eodem dixit: *Fatigatus ex itinere sedebat sic supra fontem.* Habemus ergo somnum Christi minime fuisse intempestivum, sed serum et ex fatigacione ortum: qua re nos docemur ut somno nonnisi post laborem, nec ad voluptatem, sed ad remedium et naturæ conservationem: quo modo agri duobus annis conseruntur ut fruges afferant, tertio anno interquiescent, ne nimis exhauiantur, indeque sterilescant. Sat superque est tertiam vitæ partem somno induluisse.

Respondet secundo S. Chrysostomus, hom. CCLXXIX. in Math. « Si vigilantem viderent Christum, aut non adeo timuissent discipuli, aut petere ab eo salutem, qui pericula eorum videbant, neglexissent, aut non posse ipsum fluctus sedare putassen. Idcirco dormit ut et timoris